UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sacramentum Ordinis

Biesmann, Caspar

Coloniæ Agrippinæ, 1694

Caput VIII. De Abbatum dignitate & potestate.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42240

Visual Library

CAPUT VIII.

De Abbatum dignitate & poteſtate.

ABbates non ordinantur, ſed ſolùm ſolemniter benedicuntur & intuitu hujus benedictionis participant Epiſcoporum inſignia, mitram, baculum, &c. & aliqualem Epiſcopalis Ordinis poteſtatem ſortiuntur. Nam Abbates, ſi Sacerdotes fuerint, & ſolemniter benedicti, poſſunt conſecrare altaria & calices, benedicere campanas, veſtes, & vaſa ſacra, populo ſolemniter benedicere, item primam Tonſuram, & Ordines minores conferre ſuis ſubditis regularibus. Laym. *Tr 9. Cap 9. & 13.* Non tamen aliis, ſive regularibus, ſive ſæcularibus ſibi non ſubditis; etiamſi habeant dimiſſorias à ſuis ordinariis: ita enim decrevit ſacra Congregatio Card. Conc. Trid. interpretum. *Die 13. Novembris 1641.*

Abbatatus non eſt Ordo: ſpecialis autem poteſtas, quam habent Abbates conſecrandi altaria, &c. competit ipſis ex ſola commiſſione Pontificia, ex qua etiã poſſunt conferre primam Tonſuram & Ordines minores ſuis ſubditis regularibus, non autem aliis.

Hoc autem decretum an ubique fuerit receptum, & in quibuſdam locis contra illud præſcriptum dubitat Gob. *Tract 8. Cap. 8. n 382 & 341.* Ex jam dicta Abbatum poteſtate malè inferes, Abbatatum, ut ita loquar ſacris Ordinibus annumerandum eſſe, quia hæc ſpecialis poteſtas non confertur ipſis per ſolemnem Benedictionem, quâ benedicuntur, ſed ſolùm competit ex commiſſione Sedis Apoſtolicæ, aut generalis Conc. communi jure ipſis facta, qualis etiam poteſtas ſimplici Sacerdoti committi poteſt: adeóque ſolùm ſunt Miniſtri ex commiſſione, ex qua neque ſimplex Sacerdos neque Abbas Presbyterium ulli conferre poteſt: nam oſtendi nequit talem commiſſionem à Sede Apoſtolica unquam factam fuiſſe, imò negat S. Thom. cum aliis multis contra alios, poteſtatem conferendi Ordines ſacros à ſummo Pontifice

ſimplici

ſimplici Sacerdoti committi poſſe, eò quòd Epiſcopus jure divino videatur determinatus miniſter Ordinis ſacri. Si quod fuit aliquando privilegium Abbatibus Ordinis Ciſtercienſis ab Innoc. VIII. conceſſum id ab aliis in dubium vocatur, & hoc ſaltem tempore deſiit Laym. *Tr 9. de Sacra. Ord. Cap 9.* Nav. &c.

Non poſſunt ex commiſſione Pontificia conferri Ordines majores.

CAPVT IX.

De Miniſtro Ordinum.

ORdinarius Miniſter Ordinum eſt ſolus Epiſcopus, Trid. *Seſſ. 23. Can. 4. & 7* etiam primæ Tonſuræ: ad Epiſcopum enim, tanquam publicum Principem Eccleſiaſticum, pertinet Eccleſiaſticas dignitates diſtribuere & functiones. Alii, qui primam Tonſuram aut Ordines minores conferunt, ſunt Miniſtri per ſolum privilegium & ex commiſſione. Barb. *De off. & Poteſtat. Epiſc. Alleg. 3. n 3.*

Ordinarius Ordinum Miniſter eſt ſolus Epiſcopus.

Et